



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De potestate indicendi ferias sacras, & de operibus servilibus, quæ in illis fieri prohibentur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tibus variis occasionibus, indicuntur à Principe v. g. Illarum alix sunt sacræ, ob Dei cultum & honorem Sanctorum institutæ; & quidem vel politicæ, seu honorariæ, in honorem Principis institutæ, alix necessariæ, sive rusticæ, ob utilitatem ruri laborantium institutæ, messis, v. g. & vindemiæ tempore, &c. juxta Regionis conditionem observandæ. Præter has ferias dantur etiam ferix nuptiarum, quibus à nuptiis publicè, & solemniter celebrandis abstineri debet; de quibus videndum *Tridenti. Sess. 24. c. 10. De refor. Matr.*, quod hodie correxerit antiquum jus, & observari debet.

Inchoantur autem ferix sacræ à vespera præcedentis diei, & terminantur in vespera diei sequentis, *argu. c. 1. h. r.* ita ut observari debeant tales sacræ ferix à vespera ad vesperam, non tantùm circa officia Divina faciendâ, sed etiam circa abstinendum à laboribus servilibus, aliisque prohibitis: plurimùm tamen hac in re valet consuetudo, juxta quam in plerisque Europæ Regionibus à medio noctis præcedentis usque ad medium alterius noctis talis à laboribus vacatio observatur, quam consuetudinem multùm juvat *c. Quoniam 2. h. r.*

## §. II.

*De potestate indicendi ferias sacras, & de operibus servilibus, quæ in illis fieri prohibentur.*

IN Ecclesia universali solus Papa, & in sua Diœcesi, quilibet Episcopus potest ferias sacras indicare. *can. 1. dist. 3. De consec. saltem cum consensu sui Capituli, & circa Sanctos jam Canonizatos. Et quamvis Princeps etiam secularis præ-*

*Pirhing, Compend.*

cipere possit suis subditis, ut à laboribus & operibus servilibus ac forensibus vacent, non tamen Festum diem instituere potest ad cultum Sancti alicujus in conscientia, aut ad pœnam obligantem, ne Laicis concessa videatur de rebus spiritibus disponendi facultas, & hinc si popul<sup>o</sup> voto factò se obligavit, ad Festum Sancti alicujus celebrandum, possunt quidem illi, qui voverunt, vi voti ad festum tale celebrandum obligari, non obligantur tamen neque isti voverentes, neque successores illorum vi statuti alicujus, aut consuetudinis, nisi approbatio Episcopi interveniat.

Prohibentur autem in sacris feriis non tantùm actus forenses, seu judiciales, qui soli prohibentur in feriis rusticis, ne labores scilicet illorum interrumpantur, sed opera etiam servilia, seu mechanica, quibus ministerium corporale, aut famulatus aliis exhibetur, ut est arare, fabricare, artificata conficere &c. de quibus operibus videndi Theologi morales.

## §. III.

*Quinam actus non serviles, seu liberales exerceri prohibentur diebus feriatis?*

PROhibetur insuper *inc. 1. & ult. h. r.* ne Festis diebus, Divino, aut Ss. cultui destinatis, mercatus fiant (publici & solemnnes contractus, publicæ nundinæ &c.) ne fiant placita (judicia scilicet & strepitus judiciales, aut arbitria, in quibus servari debet ordo judiciarius) ne jura præstentur (extrajudicialia, quibus pacta & conventiones publicè & solemniter firmantur, nisi pro pace, aut alia simili necessitate fiant) quæ tamen in re

M m

non